



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Tertium excitatorium desiderij perfectionis; quòd spiritualia animo
satisfaciant. Cap. vij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

qui si oculos fortè delectant, at ventrem non ex-
 plent, nec habendi famem sedant. Cibus enim ve-
 rus animæ Deus est, qui eius capacitati satisfacit, re-
 liqua verò, quæ ficta sunt, non possunt tantam ca-
 pacitatem replere, nec summi boni desideria satia-
 re. Vnde Augustinus ait: Cùm anima creaturam de-
 siderat, continuam famem habet, quia licet, quod
 desiderat, de creaturis adipiscatur, vacua tamen re-
 manet, quia nihil est, quod eam impleat, nisi tu Do-
 mine, ad cuius imaginem est creata. Implet autem
 tu eos, qui nihil aliud desiderant præter te, & facies
 eos dignos te, sanctos, beatos, immaculatos, & ami-
 cos Dei, qui omnia reputant vt stercorea, vt luci-
 faciant te solum.] Meritò sanè visibilia bona, &
 omnis prosperitas temporalis in illo lectulo desi-
 gnata sunt, de quo ait Heliu apud Iob de Domino
 loquens: Increpat quoque per dolorem in lectulo,
 & omnia eius ossa marcescere facit.] Nam dum in
 his bonis requiescimus, increpationem conscientie
 nostræ à Domino excitatam sentimus. Quam ipse
 non sine magna misericordia excitat, vt nos ab
 amore earum, quæ amandæ non sunt, rerum terre-
 narum auertat. Nec solum conscientie increpationi-
 bus rerum mundanarum amatores percutit, ve-
 rum etiam aduersitatibus ex ipsis rebus, quas
 amant, exortis, ne sedeant, in via patriæ caelestis,
 ferit. Hoc est enim quod Gregorius ait: Via qui-
 pe est vita præsens, qua ad patriam tendimus: & id-
 circo hic occulto iudicio frequenti perturbatione
 conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent
 etenim nonnulli viatores cùm amœna fortasse in
 itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere:
 & à cepti itineris rectitudine declinare: eorum-
 que gressus tardat pulchritudo itineris dum delectat.
 Electis ergo suis ad se pergentibus, Domi-
 nus huius mundi iter asperum facit, ne dum quis-
 que vitæ præsentis requie, quasi amœnitatem vitæ
 pascitur: magis eum diu pergere, quàm citius
 peruenire delectet: ne dum oblectatur in via,
 obliuiscatur quod desiderabat in patria.] Signum
 itaque electionis est, & dilectionis diuinæ, quod
 in temporalibus absinthium ponit, & mundi flores
 spiritus, & tribulis cingit, vt percepta in eis ama-
 ritudò, faciat nos contemnere, quæ amata non
 satiant, & quæ contempta, si in vsum modera-
 tum & necessarium accipiuntur vitæ quæque delectant.
 Si ergo desideria nostra in aliquo ponenda
 sunt, & in rebus visibilibus ponenda non sunt, re-
 stat vt aliqua queramus, in quibus ea constituamus.
 Bona verò eius generis cupienda, & querenda
 sunt, quæ sint vera bona, quæ nostra desideria resti-
 nguant, quæ habita nos bonos & beatos faciant,
 quæ nos Deo coniunctos, Angelis gratos, & homi-
 nibus honorabiles reddant. Hæc autem esse virtutis
 & perfectionis bona sub alio principio breuiter ex-
 ponemus.

*Tertium excitatorium desiderij perfe-
 ctionis, quod spiritualia animo
 satisfaciunt.*

CAPVT VII.



VI aliqua arte sibi, & vxori, & filiis, &
 familie necessaria lucrari non potuit, so-
 let artem illam relinquere, & pro alia
 commutare, qua sperat se maius lucrum

A accepturum, quod sui, & suorum cibo & vestimen-
 to sufficiat. Qui etiam alicuius heri obsequiis addi-
 ctus, cum magno labore, & sine vilo emolumento
 famulatur, vtile iudicat illum herum delectere, & al-
 teri se adiungere, in cuius domo facilius seruiat, &
 onere leuiori præmatur, & mercedem copiosorem
 acquirat. Et nos hac ratione permoti, sæculum do-
 minum satis durum abieciimus, & Christi nos ob-
 sequiis addiximus, cuius iugum suauis est, & onus
 leue:] quod vtile nobis non erit, nisi veteri arte præ-
 termilla, qua amor terrenorum inhaesimus, nouam
 artem & magis quæstuosam addiscamus. Illa enim
 ars (nam sic vita carnalis vocari potest) nec vxori, id
 est, carni nostræ sustentandæ sufficit, quæ quibus-
 cumque terrenis bonis acceptis, semper plura con-
 cupiuit; nec filios, hoc est, desideria, & affectus ex
 carne prodeuntes aluit, quos post multas opes, post
 multos honores, post multas voluptates ingestas,
 semper famelicos & sitibundos dereliquit: nec ser-
 uulos & ancillas, nempe sensus, & animæ vires cibo
 sufficienti refecit, quia illos & istas maiora appeten-
 tes, & pro amplioribus bonis clamantes, & vocife-
 rantes audiuit. Discamus igitur aliam artem, scilicet
 spirituale vitæ, quæ nos impleat, & satiet; quæ nos
 dicit, & amplifcet: quæ nobis de bonis omnibus ne-
 cessariis prouideat. Hæc enim spiritualis vitæ bona,
 quæ non sunt alia profectò, quam virtutis, & perfe-
 ctionis bona, talis naturæ sunt, vt menti hominis sa-
 tisfaciant, & in ea omnem famem, & omnem sitim
 rerum temporalium extinguant. Qui hæc suauissima
 bona comedunt, & humilitati, castitati, & reliqua-
 rum virtutum amor, ac studio se tradunt, statim ad
 videndam vilitatem rerum terrestrium oculis
 mentis aperiuunt. Nam sicut Ionathæ gustanti fauam
 mellis, oculi præ fame caligantes aperti sunt, vt
 omnia circumstantia posset clarè conspiciere: ita
 his qui mel virtutis gustant, mentis oculi roboran-
 tur, vt valeant rerum visibilium vilitatem, & inuisi-
 bilium cellitudinem contemplari. Dum verò con-
 siderant mundum, in Saule figuratum, eum huius
 mellis vetuisse, & milites (vt pereant, & nihil fa-
 ciant) sine cibo in prælium amandasse, dicunt, quod
 verum est: Turbavit pater noster terram: vidistis
 ipsi, quia illuminati sunt oculi nostri, eo quòd gu-
 stauerimus paululum de melle isto: quanto magis
 si comedisset populus de præda inimicorum suo-
 rum, quam reperit: nonne maior plaga facta fuisset
 in Philistiim?] Mundum patrem vocant, quia ab eo
 (quod ad naturam attinet) geniti sunt, sed illum pa-
 trem, cui & concupiscentiæ matri dicunt: Nescio
 vos, & fratribus suis, ignoro vos.] Ille pater turbat
 terram, quia hostibus vniuersis immanior, vt nos ad-
 uersus hostes Domini pugnemus, & eos insequa-
 mur, se velle dissimulat, & tam è mel gustare, aut ali-
 quem cibum accipere vetat. Scit enim, quòd si vir-
 tutis & bonorū spiritualium melle vescimur, quos
 ipse interdum ore inimicos vocat, & corde amicos
 habet, sine vlla ambiguitate vincemus. Vt ergo nos
 occultius decipiat, inimicos Domini suos hostes ap-
 pellat, & quasi ad eorum infectionem nos prouocat,
 dum sub specie boni desideria bonarum tempo-
 raliū abscondit, sed summationem spiritualis ci-
 bi, sine quo victi cademus, altitus deceptor interdi-
 cit. At nos non credamus illi, neque obediamus voci
 eius, sed mel veræ virtutis, & bonorū spiritualium
 gustare conemur; quia illud oculos mentis nostræ
 illuminabit, vt rerum visibilium vilitatem agnosca-
 mus & lacertos nostros, roborabit, vt eas fortiter des-
 piciamus, & ad res caelestes non tantum gustan-
 das, sed perfectè possidendas aspiremus; Sic magna

Matt. 11.

1. Reg. 14.

Deut. 33.

clade prosterneamus Philistæos, & vitia nostra, ac vana desideria destruamus, quos gustus virtutis fugat, sed perfecta possessio subvertat.

Illuminatis oculis gustu caelestium, tunc anima terrena fastidit, & quæ antea amauerat, atque cupuerat, odio prosequitur, & à cordis affectu reuellit. Dolet ignorantiam suam, quòd rebus tam contemptibilibus & abiectis inhæsit; & admiratur mutationem suam, quòd aperiente oculos Deo, dulcia mundi horret, splendida fugit, & concupiscibilia contemnit. Daniel viso angelo Domini qui ei futura nunciabat, ait: Ergo Daniel langui, & ægrotaui per dies: cumque surrexissem, faciebam opera regis, & stupebam ad visionem.] Sic anima, cui Deus gustum virtutis impertit, & notionem rerum mundanarum ingerit, primum languet salubri languore, quò vniuersa ei secularia amarescunt, & tanquam insipida, & noxia, ab eius gustu & appetitu se subtrahunt. Deinde surgit, non ut pristinas vanitates querat; (hoc enim esset iacere, non surgere, & ad opera vitæ anhelare) sed ut negotia regis tractet, & in Dei obsequium, & amorem suas vires impendat. Et tandem stupet ad fructum cognitionis diuinitus data, quæ tam potens est, ut quæ horribilia putabantur, dulcia faciat, & dulcia in amara conuertat: Iacob etiam quò tempore Israel vocatus est, nimirum prævalens Deo, cœpit vno pede claudicare & ex pugna cum Angelo rum benedictionem magnam, tum vnus pedis imbecillitatem acquirere.

Quidnam est hoc? nisi quòd anima Deum desiderii amplectens, sicut puritate crescit, ita in rerum visibilibus desiderio decreuit? Quid hoc? nisi quòd dum affectibus rerum caelestium accenditur, in desiderio rerum visibilibus infirmatur? Iam commoditates abiicit, iam famam & gloriam inanem fugit, iam propriam voluntatem implere trepidat, quia hæc amore & desiderio suo indigna reputat, & ideo eis subiacere nimis pertimescit. Et sicut post gustum mellis, aut sacchari omnia, quæ gustamus, videntur insipida: ita post experimentum veræ & perfectæ virtutis, quæcumque mûdus offert, insulsa, & amara reputantur. Habet humilitas dulcedinem suam, habet paupertas, habet mansuetudo, habet & castitas, quæ gustata statim aduertimus, quàm amarum & insipidum est, quicquid superbia, & cupiditas ingerit, quicquid indignatio, & impura voluptas nobis apponit. Gustus itaque virtutis, gustum rerum terrenarum tollit, & sitim visibilibus extinguit. Quod Gregorius profectò non siluit, dicens: Qui in auctoris sui amore roborantur, quo magis in concupita Dei fortitudine conualescunt, eo à propria virtute deficiunt. Et quo robustius æterna appetunt, eo à temporalibus salubri defensione lassantur. Hinc Psalmista amoris sui robore fessus dicebat: Defecit in salutare tuum anima mea:] In salutare enim Dei proficiendo defecerat, quia æternitatis lucem desiderans à carnis iam fiducia fractus anhelabat. Hinc tursum dicit: Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.] Qui nimirum cum diceret: concupiscit, rectè subdit; & deficit. Quia valde minor est diuinitatis concupiscentia, quam non mox etiam proprius sequitur defectus. Qui enim ad appetenda æternitatis atria accenditur, dignum profectò est, ut ab hoc temporalitatis amore lassetur: ut tanto frigeat ab studio seculari, quanto surgit ardentior in amorem Dei. Quem scilicet si perfectè arripit, mundum etiam planè derelinquit: & eo funditus temporalibus moritur, quò ad supernam vitam altius afflatu æternitatis animatur.] Nec mihi mirum videtur, si amor Dei amo-

Dan. 8.

Gen. 31.

Greg. 4. mor. c. 35.

Ps. 118.

Psal. 83.

A rem rerum labentium obbeat, & gustus virtutis falsam mundanorum affectuum dulcedinem pandat, quia commune est, ut res pulcherrima, amore, & possessione habita, obliuionem rei turpis inferat, & vera dulcedo contemptum fucata suauitatis inducat. Vnde qui amore diuinæ pulchritudinis captus est, quid mirum, si amorem rerum inanum respuat; & suauissimo virtutis cibo refectus, si amaritudinem curarum secularium abiciat? Et quidem ob hoc solum spiritualia bona essent appetenda, etiamsi nihil aliud, aut honestatis, aut voluptatis, aut vtilitatis haberent, quia desideria temporalium tollant, & famem ac sitim omnium visibilibus extinguunt. Hoc enim per se valde honestum est, inanibus & superuacuis desideriis carere: hoc valde delectabile, curas affligentes, & cruciantes excludere: hoc admodum vtilis, cupiditates noxias relegare. Quòd si animo immortalis, & ad Deum possidendum creato; iniuriosum est, eum stercorei, & cœno subiacere, honorificum erit, ipsum splendidissimo virtutum indumento vestire, & super omnia terrena, & visibilia collocare. Vtrumque verò præstat desiderium virtutis, quod & studium virtutis & bonorum operum parit, & omnibus, quæ mundus amat, contradicit. Illis verò resistere est, ipsa pessundare, & affectuum pedibus conculcare.

Aliquid verò amplius habent spiritualia bona, ultra id, quod est desideria temporalium sopire, propter quod essent à nobis optanda, illud scilicet,

C quòd immortalis animo satisfaciunt, & sine vilo fastidio, dulcedine sui ipsorum exantant. Cui doctrinæ altruendæ & confirmandæ satis sufficeret dictum Saluatoris, esurientes & sitientes iustitiam beatos appellantis; quoniam ipsi, inquit, saturabuntur.] Quo nam saturandi sunt? Certè non tantum præmio æterno & mercede cœlesti, quæ illos maner, sed etiam in hac vita ipso solidissimo, ac suauissimo cibo virtutis. Hunc autem sentum Chrysolomus indicauit, dicens: Noli iustitiam exercere formidare pauperiem, neque famem timere, cum certè illi magis omnibus bonis excidant, qui aliena diripiunt: ut ex aduerso ille, qui iustitiam diligit, tutissimè omnia bona possidet.] Non ergo omnis iustorum saturitas futura est, sed in præsentis vita, illis saturitas, & plenitudo quædam non repugnans mortalitati datur, quæ ab ipsa virtutis exercitatione procedit. Humilis namque non solum honores & dignitates, & adulatorum laudationes non appetit, verum ipsa quoque pulchritudine humilitatis quiescit: mansuetus non tantum vindictam, & vltionem non querit, sed & ipsa suæ mansuetudinis possessione satiatur: castus non solum carnis impuras voluptates aspernatur, sed etiam sua est animi, & corporis voluptate contentus. Quam sanctorum tranquillitatem, ac saturitatem sub cortice literæ beatus Iob eleganter inuoluit, dum ait: Ibi impij cellauerunt à tumultu, & ibi requieverunt fessi robore. Et quondam victi pariter sine molestia, non audierunt vocem exactoris. Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à Domino suo.] Quid est ibi nisi in solitudine, in qua iustus ab strepitu peccatorum fugit, & ab omni perturbatione se curarum temporalium abscondit? In hac solitudine quondam impij, sed per gratiam Christi ab impietate liberati, & ad iustitiam & pietatem translati cessant à vitiis tumultu, quia ne à vitis perturbentur, se ipsos à fœditate & clamore eorum diligenter expurgant. Ibi fessi ad res mundanas robore diuinæ virtutis, quæ eos ad secularia infirmos,

Matt. 5.

Chrysol. hom. 15. in Matt.

Iob. 3.

& ad spiritualia fortes efficit, lati, exultantesque A
 quiescunt, quoniam virtutis diuitiis cumulati, nullo
 voluptatum, aut honorum desiderio importunè
 mordentur. Ibi antea victi inanibus desideriis, sed
 nunc subsidio gratiæ à nexibus exoluti viuunt sine
 vincente aut perturbante concupiscentiæ molestia,
 nec vocem dæmonis audire sustinent, qui tam-
 quam durus exactor tributa delictorum extorquet.
 In hanc solitudinis, seu tranquillitatis domum
 non tantum magni, verum & parui recipiuntur,
 quia quisque pro mensura virtutis à seruitute pec-
 cati liberatur, & in requiem à vanis desideriis ad-
 mittitur. In hoc statu iustitiæ, & in hoc felici gustu
 virtutis Dominus animam adipe frumenti, id est, ipsa
 soliditate puritatis satiatur, & aqua internæ munditiæ
 refrigerat, vt impleat illud, quod Apostola Samaritanorum dixit. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo
 ei, non sitiet in æternum.] Quid enim sitiat anima,
 & quid quaerat viam Ægypti, vt bibat aquam turbidam,
 & viam Assyriorum, vt bibat aquam fluminis,]
 quæ clarissimo, & stabilissimo virtutis fonte potatur,
 cuius aqua concupiscentiæ calorem temperat, &
 quicquid vitiosum est, & quicquid tempore labitur,
 sine contradictione fastidit.

At ne prætermittamus causam, propter quam
 spiritualia bona animo satisfaciunt, & illum deside-
 riis temporalium, exoluunt. Causa quidem est, quoniam
 ista bona (vt supra tetigimus) propria alimenta
 sunt animi, quæ Deus in eius conseruatione &
 augmentum spirituale produxit, ideoque sine vlla
 diffentione replet, & sine vilo fastidio illum exa-
 tiant. Sicut enim Dominus in illo felici innocentie
 statu poma arborum hominibus dedit in cibos,
 quorum suauitate se oblectarent, & corpuscula ali-
 mento indigentia reficerent; ita dat illis in statu ius-
 titiæ poma virtutum pulcherrima, atque suauissi-
 ma, quorum esu non iam mortalia corpora, sed spi-
 ritus mentesque sustentent. Si autem vnumquod-
 que proprio cibo alitur, sibi à natura tributo, & si il-
 lum abundanter comedat, satiatur, quis ambigat vir-
 tutis cibum mentem alere, & eam sine molestia sa-
 tiare, quo potest se non ad angustam mensuram, sed
 ad voluntatem reficere? Hunc cibum esse, qui animæ
 satisfaciatur, & eius expleat desideria, regius vates non
 diffiteretur. Cum enim beatum eum pronunciaffer, qui
 à Domino ad vitam spiritualem eligitur, & in sui
 consortium assumitur, & in atriis Dei, hoc est, in
 sancta conuersatione, per quam in cælum ingredimur,
 habitator ingreditur, quid dicit? Replebimur, in-
 quit, in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mi-
 rabile in æquitate.] Vbi id Domine fuerimus assequi
 ti, vt in sancta, & pura conuersatione viuamus, tunc
 non esuriemus, nec sitiemus, quasi cibo nostro vacui,
 sed domus tuæ bonis replebimur. Sed quæ sunt ista
 bona domus tuæ? an honores mundani omni vento
 inatores? an opes peritura, quæ si fures non effodiatur,
 nec tinea corrodat, sua corruptibilitate depereunt?
 an fœdæ delicia, quas vilia etiã iumenta præsumunt?
 non sunt ista Domine bona domus tuæ, qui sanctum
 est templum tuum, mirabile in æquitate. Domus tua
 templum tuum est, vel illud caeleste, in quo ab An-
 gelis, & sanctis possideris; vel istud cor humanum à
 vitis expeditum, in quo sanctis affectibus adoraris.
 Hoc templum tuum sanctum est, quia tibi conse-
 cratum, quia virtutum ac donorum varietate vesti-
 tum. Hoc templum tuum æquitatis plenum est, in
 quo & tibi, & proximis debitum redditur, & nihil
 ab aliquo per iniustitiam accipitur. Ergo bona hu-
 ius templi tui, huius domus tuæ virtutes sunt, siue
 illa, quibus quisque se ipsum, & sua interiora ordi-

nat, siue illa, quibus proximis non debita dene-
 gat. His bonis replebimur, & saturabimur, cum
 secundum præscriptum domus tuæ, & secun-
 dum leges spiritualis conuersationis viuemus. Alio
 verò loco ista virtutis bona non tantum animam
 & vires eius explere, sed & desideria nostra sa-
 tiare commemorat. Qui replet, inquit, in bonis
 desiderium tuum, renouabitur vt aquila iuuen-
 tus tua.] Quid o homo, desideras? An peccatorum
 veniam? an vulnere medicinam? an de spiri-
 tuali morte victoriam, an donorum & miseratio-
 num abundantiam? sed replebit ille his omnibus
 bonis desiderium tuum, vt quod postulaueras,
 assequaris; quod desideraueras, teneas, & bonis,
 quæ sitieras, facieris: Quid autem est? Renoua-
 bitur vt aquila iuuentus tua? nisi quod sicut ho-
 mo optimis cibis abundè refectus, tum esuriam,
 & imbecillitatem pellit, tum vires ad laboran-
 dum, & currendum refumit: ita anima spirita-
 libus bonis repleta, fortior ad bona, quæ non ha-
 bet, consequenda, & robustior redditur, & in
 dies nouis virtutum incrementis cumulatur. Hu-
 ius vericuli renouabitur vt aquila iuuentus tua]
 interpretatio est, illa Apostoli Petri sententia: Si-
 ne dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in sa-
 lurem: si ramen gustatis, quoniam dulcis est Do-
 minus.] Illi namque diuinam dulcedinem gustant,
 qui honorum operum experimento, virtutum ci-
 bo saginantur. Hi verò lacte doctrinæ caelestis
 pasti, (quæ non tantum in cognitione virtutis, sed
 in operatione quoque posita est) lac, quod nondum
 acceperunt, auidè concupiscunt, secundum illud:
 Qui edunt me, adhuc esurient,] vt quotidiana salu-
 berimi cibi sumptione, viribus augeantur, & ad
 præripienda noua perfectionis incrementa conua-
 lescant.

Si ergo nos bona temporalia quantumuis ma-
 gna, & copiosa non expleat, & bona spiritualia vel
 leuiter gustata satiant, & ad expugnandam ar-
 cem perfectionis magis magisque corroborant, con-
 temnamus illa quasi inutilia, & appetamus ista;
 atque in his nostra desideria, & cordis nostri fa-
 mem, & sitim occupemus. Melius est, o homo,
 inquit Salomon, videre quod cupias, quam deside-
 rare quod nescias.] Opta itaque humilitatem,
 spiritus paupertatem, vitæ & morum integritatem,
 quam si rectè concupiueris, aliquando non à
 longè, sed propè, imo & in tuo corde videbis. Non
 verò desideres temporalia bona, quæ nescis, an tibi
 vtilia futura sint; & ea numquam vsque ad sarietatem
 apprehendes. Patres illi legis antiquæ felices
 existimati sunt, quia solum iuxta fidem de-
 functi, & non acceptis regis Messie promissioni-
 bus, sed à longè eas aspicientes & salutantes abie-
 runt. Quanto tu illis beator, atque felicior, quia si
 Christum cupis, & virtutis studium, ac eius imita-
 tionem exoptas, non illum à longè aspicias, nec post
 multa tempora nasciturum salutas, sed iam na-
 tum, iam passum, iam viuentem, iam gloriosum.
 & ad dexteram Patris assumptum, vita sequeris,
 imitatione tenes, sanctis affectibus in corde recon-
 dis, & post casum infirmi patieris, id est, mortalis
 carnis, non per speculum in ænigmate, sed facie ad
 faciem ipse videbis. Hoc summum bonum tam
 præsens concupisce, hanc pulchritudinem non iam
 longè positam, sed propinquam desidera, quæ te
 non famelicum, & sitibundum relinquet, sed vel
 modica copia sui omnes sinus tui cordis explebit.
 Si Christum sponsum dulcissimum semel perfectæ
 virtutis ministerio possideris, sat scio ridebis ompia

Psal. 102

I. Pet. 2.

Ecc. 2. 4.

Ecc. 6.

Hebr. 11.

tempo

Psal. 47.

Ionn. 3.

Ierem. 1.

Gen. 2.

Psal. 64.

temporalia, & tui cordis tranquillitatem admiraberis, & dices non sine canticis, & iubilo, paucis immutatis illud beatissimæ Agneus: Quod concupiui, iam video, quod speravi, iam teneo, ipsi sum iunctus in intimis meis, quem in primordiis conuersionis meæ tota deuotione dilexi.] Si enim Dominus in cordibus illorum habitat, qui charitate ornati sunt, iuxta illud: Si quis diligit me, sermonem meum seruet, & Pater meus diligit eum, & ad eum venimus, & mansionem apud eum faciemus.] Quid mirum, si ipsi Deum possidentes tanto bono fatentur, tantis diuitiis replentur, & summæ pulchritudinis, & sanctitatis (qui Deus est) possessione latentur. Quod si verum est illud Salomonis proverbium, & non dubium, quin verum sit: iustus comedit, & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis:] ne desideremus, quæ impij desiderant, quæ licet possessa, semper nos vacuos, inanes, & adhuc desiderantes relinquunt, sed quæ iusti desiderant, cupiamus. Hæc nostra desideria replebunt, hæc cordi nostro pacem & tranquillitatem impertient. Quod licet amplius proficere appetet (nam nolle amplius spiritu crescere tepidum est) non tamen eo, quod habet licet parum sit, vacuus & inanis permanebit. Mirum in modum igitur anima ad cupiendam perfectionem excitatur, dum videt sua desideria nunquam bonis temporalibus satiari, & sola charitatis, & virtutis (qua Deus habetur) abundantia repleri.

Ioan. 14.

Prov. 13.

Quartum excitatorium desiderij perfectionis, quod Deus impense vult, ut perfectionem queramus.

C A P. VIII.

N curijs & palatijs regum multa sunt, quæ apud aulicos valent, & eos ad diuersa studia, & varias occupationes sectandas, impellunt, sed nihil est inter hæc omnia, regis desiderio ac voluntate potentius. Hæc enim, ut primum cælum alios inferiores orbis secum rapit, ita voluntates subditorum mouet, & ad id, quod rex vult, siue bonum, siue malum, perficiendū inclinat. Nec clauus in potestate peritissimi gubernatoris positus, tam facile nauim huc aut illuc dirigit, quam vna voluntas principis maiorum ac minorum voluntates, seu desideria gubernat. Secundum iudicem populi, inquit Ecclesiasticus, sic & ministri eius: & qualis est rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.] Si rex bellicosus sit, & ad pugnas & proelia procliuus, tunc apud suos disciplina militaris viget, tunc nemo est, qui non bellorum desiderio ardeat, & qui non lætus arma ad pugnandum arripiat. Si rex pacificus sit, & quietus, tunc florent literæ, tunc optimi gubernatores turmatim prodeunt, qui quæ ad pacem pertinent, prudenter tractent, & rempublicam in serena quadam tranquillitate contineant. Si rex iustitiae, & integritatis amator sit, statim vitia diffugiunt, & aulici, si aliquando præ carnis fragilitate delinquant, tamen summa cura defectus suos ab oculis regis abscondunt: si verò vitiorum, ac libidinum sit affectator, tunc omnia iniquitatum genera in regnum irumpunt, & de virtutibus læta triumphant, impleturque in subditis illud Isaia, quia peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt] imò tamquam de rebus pulcherrimis de flagitijs se iactant. Rex iustus, inquit Sa-

Ecc. 10.

Isaia 3.

Prov. 29.

Alomon, erigit terram: & rex insipiens perdet populum, & ciuitates inhabitabuntur per sensum potentium.] Ipsi omnes libenter obtemperant, & vult est in libro Eisdra: si dixerit, occidite, occidit; dixerit, remittite, remittunt: dixerit, percutite, percutiunt: dixerit, exterminate, exterminant: dixerit, ædificate, ædificant: dixerit, excidite, excidunt: dixerit, plantate, plantant: & omnis plebs, & virtutes eum obaudiunt.] Tantum valet apud subditos principis voluntas, & regis à domino dominationis concessa potestas. Satis aperte istud in historia Herodis conspicitur: qui ad aduentum Magorum, & ad nouam, & inauditam eorum interrogationem turbatus est, & omnis, inquit sacer scriptor, Ierosolyma cum illo. Vna enim perturbatio capitis tamquam vertigototum corpus regni turbauit, & habitatione, atque affectu principis impediuit. Alter autem Herodes prædicti filius, & iniqui genitoris iniqua progenies, Saluatorem nos humilitatis viam edocentem, & vanitatem opinionum mundi huius ostendentem, spreuit, & statim exercitus ducem sequutus est; & quem imperator spreuit, milites spreuerunt, cui illudit, illuserunt, & stulti veste circumdatum salutis Authorem amandarunt. Quem si Herodes suspexisset, absque dubio, & ipsi suspicerent, & reuerentiæ signis honorarent. Quid nunc morer, & primam illam ac miseram mundi tragediam commemorem, qua vnus Lucifer inter Angelos primatum tenens, & superbia turgidus, terram Angelorum partem eodem morbo, quo ipse ægrotabat, infecit, & de cœlesti sede in terrarum deturbauit? Cauda eius, inquit, nec dubium, quin imitatio eius, trahebat tertiam partem stellarum.] Hæc mala afferunt populis principes mali, de contrario verò populos ad omnem virtutem, & integritatem instigant principes boni. Nam & vnus Ezechias, impiissimi progenitoris excelsa dissipauit, statuas contriuit, lucosque subuertit, & subditos ad impietatem, & idololatriam currentes suo exemplo ac voluntate detinuit, & in vnus viri Dei cultum reuocauit. Quare mihi videtur voluntas principum tincturæ comparanda, quæ voluntates minorum eo colore imbuunt, qui in regis mente præfulget. Nam si ista sit impura, atque præpostera, subditorum voluntates fœdat, si verò æqua, & iusta, eorundem voluntates rectificat.

Ecc. 10.

3. Esdr. 4.

Matt. 2.

Luca 22.

Apo. 12.

4. Reg. 18.

Ecclesia autem regnum quoddam est, non perituum, sed perpetuum, aduersus quod porta inferi non præualebunt.] Huius regni ipse Deus noster est rex, de quo inquit Dauid: Quia Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. Quia in manu eius sunt omnes fines terra, & altitudines montium ipsius sunt.] Equum est ergo, ut nos populus pascuæ eius, & oues manus eius, ipsius voluntate gubernemur, ipsiusque sanctissimis desiderijs annuamus. Satis enim honorificum nobis est, regis nostri voluntati non contradicere, & admodum vile ad eius nos desideria conformare. Sed quis nobis edicet voluntatem Domini, quis desideria nostri regis aperiet, ut ea implere satagamus? An ipse, qui apud Ieremiam dicitur bellator fortis] optat ut bellatores simus, & nihil aliud nisi arma, & bella, ac pugnas resonemus? An forte ipse, qui etiam vocatur princeps pacis.] vult ut in pace, & tranquillitate viuamus? Et quidem vtrumque cupit, & in nobis subditis suis impense desiderat. Nam ut ad perfectionem, & sanctitatem aspiremus, vehementer optat: quæ & bella aduersus vitia, & immoderatas affectiones nostras, & pacem cum virtutibus, & cum proximis nostris concor-

Matt. 16.

Esal. 94.

Iere. 20.

Isaia 9.